

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvtatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

19 Vtrum præcepta ordine naturæ prædedant consilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](#)

QVOLIBET. V. ART. XVII. XVIII. ET XIX.

36

¶ Secundo, Circa abstinentiam, utrum aliquis peccare possit nimis ieiunando, vel vigilando.

ARTICVLVS XVII.

Vtrum ille qui pecuniam accepit mutuo, ut redimeret se latronibus, teneatur eam restituere.

A D PRIMVM sic procedebatur. Videtur quod ille qui pecuniam accepit mutuo, ut redimeret se latronibus, non teneat eam restituere, quia ut Aug. dicit. Tempore necessitatis ola sunt communia: sed nullus debet quasi propriu petere id quod est commune, ut Ambr. dicit, & habet in decretis dist. 4. Cum ergo ille qui in latrones incidit, fuerit in maxima necessitate constitutus, ut pote in periculo mortis existens, videtur quod factum sit sibi commune aliquid quod erat alterius, & ita non teneatur ei restituere, qui mutuauit, ac si esset proprium eius.

¶ 2 Prat. Nullus tenet facere recompensationem alicui pro eo quod ille facere tenebatur: sed ille qui mutuauit pecuniam tenebatur proximum suum a mortis periculo liberare, secundum illud Prou. 24. Erue eos qui duocunt ad mortem. ergo videtur quod ille qui est liberatus, non teneatur ei restituere pecuniam mutuaram.

SED CONTRA est, quod Dominus Matth. 7. dicit. Omnia que vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis sed ille qui liberatus est a latronibus, vellet sibi restituiri, si quid mutuaster. ergo etiam ipse debet restituere quod mutuo accepit.

RESPON. Dicendum, quod iustitia actus est vnicuique reddere quod sibi debetur. Unde cum ratione contractus bona fidei, qui fuit inter mutuantem & mutuo accipientem, restitutio debatur ex iustitia pracepto, tenetur ille qui mutuo accepit pecuniam, eam reddere creditori, & tanto magis, quanto in maiori necessitate creditori sibi subuenit.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod tunc in necessitate fiunt omnia communia, cum homo non potest sibi de suo subuenire: ridicula enim esset, si quis famem paties nollet accipere panem quem haberet in area, & diceret se accipere panem alienum quasi communem: qua autem per amicos possimus, per nos aliquatenus possumus, ut dicit Philo in 3. ethico. Ille autem qui in latrones incidit, potest se per amicos liberare mutuum, accipiendo, & ideo non fiunt ei omnia communia.

AD SECUNDVM dicendum, quod vniuersusque tenetur ad liberandum proximum a morte secundum suam conditionem & modum, & hoc quidem convenienter implevit ille qui pecuniam mutuauit, non autem tenebatur eam donare in casu quo ille poterat per mutuum liberari.

ARTICVLVS XVIII.

Vtrum homo possit peccare nimis ieiunando, vel vigilando.

CERICA secundum sic proceditur. Videtur quod homo non possit peccare nimis ieiunando, vel vigilando. Deus enim non potest nimis ab homine diligi: sed probatio dilectionis est exhibitor operis, ut Greg. dicit in homel. quadam, ergo videtur quod non possit aliquis peccare nimis ieiunando, vel vigilando propter Deum.

SED CONTRA est, quod Bernar. confitetur se peccare quod nimis corpus suum ieiunando &

A vigilando debilitauit.

RESPON. Dicendum, quod secundum Philo, in 1. Polit. Alter est iudicandum de fine, aliter de his quae sunt ad finem. Illud enim quod queritur tamquam finis, absque mensura querendum est. In his autem quae sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem, sicut medicus sanitatem quae est finis eius, facit quantumcumque potest maiorem, seu adhibet medicinam, secundum quod conuenit ad sanitatem faciendam. Est ergo considerandum, quod in spirituali vita dilectio Dei est sicut finis, leiunia autem & vigilias & alia exercitia corporalia non queruntur tamquam finis: quia sicut dicitur ad Rom. 14. non est regnum Dei cœsa & portus, sed adhibentur tamquam necessaria ad finem. I. ad domandas concupiscentias carnis, secundum illud Apost. 1. ad Corint. 9. Castigo corpus meum, & in seruitu redigo &c. & ideo huiusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis, ut concupiscentia deviteretur, & natura non extinguitur, secundum illud ad Rom. 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem: & postea subdit. Rationalib[us] obsequium vestrum. Si vero aliquis intravit virtutem naturæ debilitet per ieiunia, & vigilias, & alia huiusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi, puta, prædicare, doct[or] doce[re], cantor cantare, & sic de alijs, absque dubio peccat sicut etiam peccat vir qui nimis abstinentia se impotentem redderer ad debitum uxori reddendum. Vnde Hiero. dicit, de rapina holocaustum offerit, qui vel ciborum nimia egitate, vel somni perniciosa immoderata corpora affligit: & iterum rationalis hominis dignitatem amittit, qui ieiunium chartati, vigilias sensus integrat[i] præfert.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

QVÆSTIO X.

DEINDE circa præcepta quæsita sunt duo. ¶ Primo, Vtrum præcepta ordine naturæ præcedant consilia.

¶ Secundo, Vtrum præcepta quae sunt contra præcepta secunde tabula, sint grauiora peccatis quæ sunt contra præcepta primæ tabule.

ARTICVLVS XIX.

Vtrum præcepta ordine naturæ præcedant consilia.

CIRCA primum, sic proceditur. Vñ quod præcepta Art. 990
ordine naturæ præcedant consilia. Illud, n. est prius ordine naturæ, ad qd natura primo instigat, sed præcepta sunt de primo instinctu naturæ, qd sunt de dictamine rationis naturalis, nō autē consilia. ergo præcepta sunt priora ordine naturæ quam consilia.

SED CONTRA est, quia prius natura dicitur aliqd esse tripliciter. Vno modo, sicut imperfectum est prius perfectio, & hoc modo præcepta non sunt priora consiliis, quia in præceptis charitatis præcipue consistit perfectio. Secundo, per modum cause tempore præcedentis effectum, & sic etiā non sunt priora, quia non est necessarium quod aliquis prius implet præcepta quam consilia. Tertio, per modum originis, qd principium est simul tempore, sicut lux solis & radius: sed nec hoc modo præcepta sunt priora, quia non est necesse quod quicunque seruat præcepta, seruerit consilia, ergo nullo modo præcepta ordine naturæ præcedunt consilia.

RESPON. Dicendum, quod circa hoc necesse est duo considerare. Primo, quid sit esse prius ordine na

Quæst. disp. S. Tha. E 4 ture,